Dixit ergo ad Ioseph. Quia ostendit
tibi Deus omnia quae locutus es, num
quid sapientiorem et consimilem tui
invenire potero. Tu eris super
domum meam: et ad tui oris
imperium cunctus populus
obediet. Uno tantum regni
solio praecedam te. Dixitque
rursus Pharao ad Ioseph. Ecce
constitui te super universam terram
aegypti. Tulitque annulum de
manu sua et dedit eum in
manu eius: vestivitque eum sto
la bissina: et collo torquem
auream circumposuit. Fecitque
eum ascendere super currum suum
secundum: clamante praecone Ut
omnes coram eo genuflecte-
rent: et praepositum esse sci-